

rus, qui de coelo descendit. Neque referri ea Sibyllae verba ad summam beatitudinem possunt, quasi signetur illa pane caelesti: beatitudo namque non est e coelo, sed in coelo, quin neque in coelo stellato, sed supra coelum stellatum. Praeterea paradisi fuit in ipsis terris infra caelum. Quod igitur ait nos habitaturas hortum paradisi, id non spectat ad aeternae vitae felicitatem supremam, sed ad huius, quam deimus in Ecclesia, dicta et ipsa paradisi, quae illius est inchoatio, et fundamentum, ex quo fit, ut haereditate acquiramus eam. Panis vero huius substantiam, vel vim caelestem canit Sibylla, dum dicit *E coelo stellato*. Nec solum quoad vim, sed quoad substantiam dicit esse e coelo, sed quantum ad efficaciam duntaxat, non proprie e coelo.

Aliud alio loco Sibyllae oraculum haec expresse continet: *Et urbem, quam desideravit Deus, ipsaque effectit splendidiorem stellis, et sole, et luna, et decus adiecit, aedemque construxit carne una conditam, pulchram, undique formosam, formavit nulla per stadia magnam, et immensam turrim, ipsus pertingentem nubes, et omnibus conspicuam, ut videant cuncti fideles, et cuncti iusti gloriam sempiterni Dei capitulum speciem*. Hic maxime observandum est, vocem Graecam, *ισοπέδη*, significare tum aequam intimam ex carne, tum ex una carne: ut agnoscamus magis Eucharistiae comestionem, coniunctionemque intimam, non per irradiationem solum substantialis qualitatis.

Oraculum e libro septimo, cum maximam quandam renovationem praedicit de Christianis, haec continet: *Sed simul omnes manna roscaidum candidis dentibus mandent*. Manna igitur simul ab omnibus mandetur. Quamobrem et multa dicta de manna ad comprobendam veritatem corporis Christi in Eucharistia huc afferri possunt.

Oraculi e libro sexto de Christo, et Christianis, haec est vera expositio: *Ex una vero radice panis novellum germen erit virorum. cum domus David germinabit germen; in manu autem eius mundus totus, et terra, et coelum, et mare*. Sed quomodo ex una radice panis erit istud novellum germen, nisi vere Christi corpus nostro adinquantur? nam quantum ad efficaciam spiritus, non magis ex una radice panis nasci possumus, quam baptismi: licet enim poni possit vis maior in pane, quam baptismi; attamen spiritalis illa entitas, quae tanquam qualitas imprimitur, atque inhaeret spiritui nostro, non est numero una, sed singulis sua, atque illa ex parte spiritus impressi, et infusi non sumus ex una radice. Quod si unus est ex parte divini Spiritus imprimentis spiritum in nobis, et convertentis nostras ad Deum mentes, tum non magis unus in pane, quam baptismi: idem namque Deus infundens charitatem in baptismi, et pane. Quod si, ut nos asserimus, sit unum numero corpus Christi in Eucharistia, tum vere dicitur futurum germen novellum ex una radice panis. Ut igitur rem clarius Sibylla detegeret, adiecit: *Cum domus David germinabit germen*; Christus namque est e domo David quantum ad corpus, non quantum ad spiritum. Ex illa ere-

go corpus assumpsit, et suo corpore germinavit, et per Christi corpus omnes Christiani ex eadem radice pullulantes, non ex substantiali tamen qualitate, veluti radio a sole derivato. Nec temere Vates dixit: *In manu autem eius mundus*: ostendit enim opus huius esse omnipotentiae divinae. Ita nec dixit ex illa radice plurima germina oritura, sed unum duntaxat. Bene nique dixit *virorum*, non hominum: nam per Christi corpus foeminae evadunt constantia viri; aut, ut ait d. Paulus: *in virum perfectum*, alioquin male dixisset Sibylla, *virorum*, non hominum. Iam vero nisi substantiam panis abeat in substantiam corporis Christi, ac nisi sit panis solammodo, quoad spiritum, non quoad substantiam, non erimus eodem modo ex una radice, nam plures essent numero panes. Ex quibus manifestum est, in Eucharistia verum Christi corpus esse, per cuius assumptionem nos in unum corpus coeamus omnes, veluti ex una stirpe prodens arbor, cuius sicut plurimi rami, qui in illa coniunguntur; aut lapides multi in unum cohaerescunt, cum simul iuncti unam domum conficiunt; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXX.

In confusione haereticorum, et solationem filium auream insignium miraculorum contexitur catenam, quae veritatem praesentiae corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini latentium, aperte contestantur.

Olim in primordiis Ecclesiae catholicae, quando ipsa in infantia sua parvula erat, et absque uberibus, ut dicit eius Sponsus (Cant. 8): *Soror nostra parva, et ubera non habet, significare volens, tunc non habere robur illud magnum, et eximiam fortitudinem, quam postea habitura erat, tunc Deus frequentius miraculis, et portentosis signis illam fovebat. Unde Christus Dominus discipulis suis praedixit (Marc. 16): *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: Daemonia eiciunt, serpentes tollent, etc.* At postquam Ecclesia catholica grandior, et robustior facta est, non opus fuit frequenti miraculorum usu. Quia tamen haeretici perfricta fronte non dubitavit praesentiam corporis Christi in augustissimo Eucharistiae sacramento acriter impugnare, voluit Deus innumeris tam antiquis, quam recentibus portentis, ac admirabilibus prodigiis eorum errorem evincere, et catholicam veritatem stabilire. Cum enim Deus non permitat fieri miracula ad falsitatis comprobationem, maxime cum veritas veni in certamen cum mendacio, ut conlingit in dissidio Moysis cum Magis Pharaonis; apertissimum est, vigente certamine inter catholicos, et haereticos de veritate praesentiae corporis Christi in sacramento, cum in eius confirmationem stupenda facta*

sint miracula, ex parte Catholicorum stare victoriam. Unde merito verba Christi usurpantes, haeretici decere possumus: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*: operibus quidem adeo miraculosis, ut nemo nisi amentissimus, posset inficiari. Sit ergo primum, quod Paulus diaconus vitae SS. Syri, et Iuventii (cap. 8. de ann. Christ. 130) refert, quod dum Missarum solemnitas singularis Pontifex celebraret, et copia florum eius, quos verbi semine, iuxta Apostolum, Deo generat, devota sanctis mysteriis interesset: audacter Iudaeus ecclesiam ingressus, maligno instigante spiritu, corpus Dominicum, suscipere, atque in sterquilinum proicere molitus est. Qui inter turbas fidelium ad manus viri Dei pervenit, ausu nefario, immundo ore corpus suscepti Dominicum: quod ut animo reiiciendi os aperuit, digna ultione percussus, sine afflatu verborum, cunctis videntibus, et audientibus clamare coepit. Volebat labia iungere, nec valebat: conabatur verba edere, sed lingua rigida officium loquendi non praebat, et quasi ignitum iaculum in ore portans immensis torquebatur doloribus. Resonat ab omni illa ecclesia inoptata vocis clamoribus, et tam egregii virtute miraculi Christi fidelium laetabatur conventus.

Anno Domini 550. Evagrius (lib. 4. c. 35) Memae temporibus miraculum editum fuisse plane memorabilis narrat. Velut consuetudo fuit Constantinopoli, ut si quando multae adfuerint particulae puri, et immaculati corporis Christi Dei nostri supressent, pueri impuberes, qui scholam frequentabant, accergerentur, easque manducarent. Quod cum factum fuit, filius cuiusdam hominis, Hebraei quidem opinionone, arte autem vitiarum, una cum pueris versatus est: qui quidem parentibus percontantibus ab eo causam morae, respondit, ut se res habuit, se cum aliis pueris pariter comedisse. Hebraeus furore, et iracundia inflammatus, in cibarium ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum coniecit. Postquam vero mater puerum quaerens reperire non potuit, passim per totam urbem ibat Deum cum genitu obtestans, et flebilibus lamentis se dedens. Triduo autem post ad ostium officinae viri sui consistens, luctu mirabiliter divexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem ut agnovit, e cibano responsum dat. Mater effractus foribus intro irrupit; videt puerum in mediis carbonibus candentibus consistentem, illaesum ab ignis incendio. Qui cum interrogaretur, quo pacto illacus manserit? mulier, inquit, vesle amica purpura crebro ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammam corpus amientes extinguerem, eibum denique dedit, quibus esuriebam. Qua re ad Iustinianum perlata, puerum cum matre lavacro regenerationis tingendos decernit; patrem autem pueri, qui recusavit in numerum Christianorum adscribi, in Sycis cruci affigendum curavit.

Secundum exlat apud Guillelmum Bibliothecarium (de gestis Anglorum lib. 2. cap. 17), quod et referunt, et probant Vincentius in speculo historiali, Albertus Stadensis, Ioannes de Columna, Matthaeus Uvestmonasteriensis, Her-

mannus Schedelius, Ioannes Naclerus, Ioannes Trilemius, et Albertus Cranzius in Chroniciis, ubi huius aetatis historias referunt. Ego Obertus peccator, esse vellem celare, quod in me factum est divinum iudicium, membrorum meorum tremor proderet. Quod quatenusmodum factum sit, referam, ut omnibus innolescat, quanta sit poena inobedientiae. Eramus ad vigiliis Natalis Domini in villa quadam Saxoniae, ubi erat ecclesia Magni martyris. Presbyter nomine Robertus missam primam inchoaverat; ego in caemeterio cum sodalibus 18. viris 15. foemina tribus choreas duces, et cantilenas saeculares perstrepsens, ita sacerdotem impediēbam, ut ipsa verba nostra inter sacrosanta Missarum solemniam resonaret. Quocirca mandato nobis, ut taceremus, neglecto, imprecatu dicens: *Pactae Pactae Deo, et sancto Magno, ut ita cantantes permaneat usque ad annum*. Verba pondus habuerunt. Filius presbyter Ioannes, sororem suam nobiscum cantantem per brachium arripuit, statimque illud e corpore evulsit, sed gula sanguinis non exiit. Ipsa quoque toto anno nobiscum permansit; choros duces, et cantans. Pluvia, non cecidit super nos, nec frigus, nec calor, nec fames, nec sitis, nec lassitudo affecit nos, indumentaque nec calefactione nostra atterivimus, sed quasi recordes cantabamus. Primum ad gentia, mox ad femora terrae demersi sumus: fabricae tecti aliorum ubi Dei super nos erigebatur, ut pluviae arceret. Tandem evolo anno, Heberetus civitatis Caloniensis Episcopus, nodo, a quo manas nostrae ligabantur, nos absolvit, et apud allare s. Magni reconciliavit. Filia presbyteri cum aliis duobus spiritum efflavit, coloris continis tribus diebus, et noctibus dormivimus, aliqui postea obierunt, et miraculis coruscant; ceteri poenam suam membrorum tremore produunt. Hoc accidit anno salutis 1012.

Tertium a Carolo Sigonio de regno Italiae (lib. 19) de anno 1264. et ab Onofrio Panvino in Platinae Urbanum Quartum, Valsinii mirandum visum asserunt. Sacram quidam ibi, cum rem divinam faciens sacras rite hostiam frangeret, forte de veritate ipsius Christi corporis dubitavit. Itaque subito ex ipsa hostia sanguis tantus efflavit, ut multis intem ipsum guttis inuberit. Qua re audita Urbanus Pontifex attonitus, ipsum ad se deferri iussit iussu magno cleri, et populi occurrentis honore excepti, eoque in Ecclesia Urbeveta in sole ampliore, ac digniore reposito, solemnem Christi corporis diem decimo post Pentecostem cum insigni pompa in perpeluum celebrandum instituit. Naclerus, et Hermannus Schedelius in Chroniciis, Cornelius Cornipolitanus in Chronologia referunt in ponte super Mosam in Traiecto superiori ducentos homines chorca Iudeos 15. Calend. Iunii, cum corpus Christi per sacerdotem portaretur ad infirmum, cessare noluisse, donec transisset sacerdos. Mox igitur transito ponte a presbytero, pons cecidit, et omnes in fluvio praeter unum submersi fuere.

Quartum referunt a Iacobo Meiero (lib. 17. Annal. Flandriae) de anno 1470. Narrat 3. Idus Novembris fortis d. Martini Episcopi factum

Brugis miraculum per sacratissimum sanguinem Domini in hunc modum. Muller quendam infantem enixa, qui videbatur esse mortuus, non cessat clamare sacrosanctum erantem Christi, quo pro consolatione, bonaque fide, et fiducia sua id omnia, quod petit, obtinuit post diem tertium quam erat sepultus, rufosus infans revixit, et baptizatus est. Leander Albertus (in descriptione Italiae in Romanata 14. regione Italiae) narrat, Ravennam a Gallo milite crudelissime direptam fuisse, ut ne sacris quidem templis parceretur. Vasco enim quidam miles, cum tanto rapiendi furor percitus, ut in maximum templum irruens, quia totum id tam maximum templum irruens, relicta salum aedificia sacratissimam hostiam continentem, cui ex aliis nemo propter Sacramenti religionem adhaere manus admoliri fuerat ausus, omni munus merito deposita, arculam pretiosam arripisset, et extractione per summum nefas venerabili Sacramento, et in terram proiecto asportare, hostia mox in columnam quamdam sponte subvolavit, in eaque constitit. Verum enim vero brevi mora poenae, Vascones istos qui fere delibrorum, sacrorumque fure spoliatores, exultare nomen sicut. Paucis enim post diebus ab Helvelis in Italiam accitis maxima nequissimi generis pars caesa, vel in Ticiam, Padve gurgites defrua est: ut mox quaterna, senaque illorum cadavera simul colligata fluminibus deferri spectarentur.

Quintum miraculum est, quod sub tempora Arcadii, et Honorii Imperatorum contigisse narrat Simeon Metaphrastes (in vita magni illius Arsenii). Cum quidam senex Eremita haud crederet in Eucharistia verum Christi corpus esse, idque audisset alii senes; convenire in unum, multisque conati sunt errantem in viam salutis reducere. Cum nihil proficesset, in templum venire post multas preces ad Deum, ut senem liberaret a falsa sententia. Cumque sacra, inquit Simeon, perageretur mystagogia, divinusque panis esset propositus, infans visus est eodem tempore tribus senibus. Deinde cum sacerdos ad hoc, ut panem in frusta divideret, iam manum extendisset, visus est eis angelus, qui superue gladium in manu habebat; qui cum propositum infantem, id actum per similitudinem quandam, ut veritas adumbraretur, sacrificasset, deinde eius sanguinem fundebat in calicem; et quamvis sacerdos panem in parva frusta frangebat, tantum quoque poterat videri angelus secans carnes ex parte pueri. Cum accessisset is, qui errabat, senex, et esset particeps sacrificii, carnis mundae, et cruentae aperte fuit particeps. Sic igitur resipuit senex: haec Metaphrastes. Habetur idem apud Latinos in vitis Patrum, parte secunda, libro de providentia, et contemplatione.

Sextum miraculum scribit Ioannes Diaconus (in vita sancti Gregorii). Nam cum sanctus hie Doctor populo inter publicas stationes Eucharistiam distribueret, ubi ad matronam quandam veniens de more diceret: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam, vidit eam subridentem; quocirca manum retrahens, et in altari deponens Eucharistiam, vocavit ad se matrem, et quid risisset, inter-

rogavit: quod, ait illa, Corpus Christi vocares, quem confeci ipsamet hinc manibus panem. Re intellecta vir sanctus precibus se cum populo dedit, ac non multo post particulam depositam respiciens vidit specie panis non apparente conspici carnem veram, quam populo obstupescente, mulieri, et cunctis ostendit quamobrem rediens illa ad mentem suam, scelus detestata, veniam delicti postulavit, caroque illa ad eiusdem Sancti preces in pristinam speciem paulo post est reversa.

Septimum continens multa, colligitur ex eo, quod saepe ex Eucharistia sanguis copiosus emanavit, ita ut arti daemonis id non possit ascribi. Referunt id Vincentius (in speculo historiarum lib. 30. c. 24), Alex. Alensis (in 4. parti quaest. 1.1. mem. 2. art. 4. §. 3). Illustrissimum ad id est illud, cuius occasione instituta est celebratio festi sanctissimi corporis Christi, de quo Panvinus (in vita Urbani 4). Nos autem post illos, duo dumtaxat exempla huius sacculi scribemus. Ac primum sit, quod accidit anno millesimo quingentesimo decimo, 8. Id. Februarii circiter horam noctis secundam, Paulus Form, in Marchiae Brandenburgensis ville Chnoblack e templo surripuit pyxidem argenteam inaratam, qua servabatur Eucharistia, vendidit hostiam Iudaeo: hic multos ietibus pugnae confudit; integram videns, iratus in tres partes conscidit, inquisiens si in Christianorum Deus es, temetipsum manifesta. Ibi ex hostia sanguis efflavit per oras eius. Re tertius Iudaeus, cum particulas panis duas involvens, eas misit ad suae factionis homines, tertiam rursus pugione aggressus est: ac rursus guttulae sanguinis emanarunt. Timens ne proderetur scelus, abstulit illam volut; cum nequiter, in flumen proiecit, et tantum misit in flammam, ex his intactam commisit azymo, fumoque impositi, qui cum foret aliquo obscuro respicendit; et azym massa, cui tertia illa particula commixta erat, insitit in faciem Iudaei. Qua re cognita Paulus forepibus disceptus, et in cineres reductus; Iudaeorum multi flammis traditi; ex quibus duo baptizati sunt, et his caput amputatum. Haec Sarius, et Genebrardus.

Aliud simile accidit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto in Polonia. Iudaeus quidam Bischeim, sive Benedictus nomine, in Sachazeto Poloniae oppido, quod tribus milliariis ab arce Loviz distat, Eucharistiam sacratissimam ab inella sua Dorothea Lazela Christiana datis munus emitt; eam nequam illa susceptam ore servavit. Delatam nequam in Synagogam multis ietibus transfixit; ibi copiosus cruor emanavit: exemplum Iudaei coelestis in calicem transfundit. Res detecta, omnes conscit flammis exusti. Haec idem scriptores, Genebrardus, Sarius, et Pontanus lib. 5.

Octavum exemplum est memorabile ac perpetuum ad obstinatissimos quoque convincendos. Anno millesimo ducentesimo trigesimo nono cum maxime Mahometanorum copiae procederent in regno Valentiae adversus exiguis nostrorum, et res ad extremum redacta esset, sex e no-

stris Duces ad Deum confugere, et Eucharistiae percipiendae consilium coeperunt; et quando non aderant loti presbyteri, quibus cuncti milites sua confiteri peccata possent, ipsi se id agere constituerunt. Verum dum presbyter iam celebrasset Missam, prolius ad arma conclamatum, neque sumeadeo Eucharistiae tempus superfluit. Quocirca Deo freti Duces adversus inimicos processerunt; presbyter inops consilii particulas sacratissimas linteolis, quae corporalia vocamus, involtas, sub lapide occultavit. Victis mirabiliter inimicis, presbyter, ut praedictos Duces, sanctissimo Christi corpore communicaret, produxit illas particulas, sed linteolis explicatis sanguineis guttis perspersas, et linteolis affixas. Res divulgata cunctos admiratione replevit. Et haud multo post rumor adest, inimicos copis relictis adventare. Nostris confirmatis praesenti miraculo animis, adversus illos progressi pelierunt, ut ex edito loco, quasi vexillum, in hostes lintea producerent; quo facto in fugam conversi inimici. Cum nostri, redeuntes non convenirent, quo loco mappulae cum sacralis particulis reponerent, sordibus res commissa: quibus eductis scibela Dorchorae oppidi ter est lecta. Sed ut Dei voluntas esset testificatio, consenser, ut pyxid inclusae particulae summa cum reverentia supra nitum mulam colloquerentur: et quo illa libertati suae relicta pergeret, et ubi consisteret, locus esset tanto miraculo. Mira res: Dorchoram versus illa iter suscepit, et in quavis a multis alio pelliceretur propositione pabuli, nunquam tamen conquiescit, donec eo pervenit, et hospitale oppidi ingressa, substitit in medio, ac genibus flexis est moratus; ac ne quid posthac dorso exiperet, minus nobile, prolius exspiravit. Innumera mortalium multitudo ad tantum spectaculum confluxit, et reservata lintea cum particulis usque ad haec tempora incorruptis, ac sanguine respersis videntur, et quotannis publice ostenduntur. Ex tantae publicae monumenta, quibus tanta res est consignata. Quis, potest accedere, et tanto spectaculo, ubi vel, dignus fieri, Meminit huius post alios Ludovicus Granatensis in Introductione Symboli parte secunda, et Lucius Marinus Siculus (lib. 5. de reb. Hispan. cap. de sacris aedibus).

Nonum, quod Caesaris refert, in hunc modum se habet. Cum mulier quaedam simplicis ingenii nonnulla apum alvearia possideret, neque illi redederent obvium, habuit quendam, qui ut equo descendens eorum pergeret ad spectaculum quoddam mirabilissimum, invitavit. Imprudens homo, et cupiditate rei tantae ductus parvi; vix equo se demiserat, cum sensit se per aera una cum comite deferri, et brevi tempore in altissimo montis cacumine statui. Ibi amplissima, et amoenissima plantae erant arboribus undique excessissimis obsepta, rupibusque horrentis circumcincta. In medio choros innumeros, ac varios ludos, cuiusque generis musas laetus, ac diversis, fuculis instructas erat videtur. Adiebatque enim concentus quilibet omni suavitate alluente. Denique aderant quaecumque animus hominum iucundissimis delinquentis tenere possent, et dulcedine perfusus intima demulcere solent. Obstupefactus improvisa re simplex, bonae confessa rem delituit ad sacerdotem, qui conflue-

tibus undique multis eo progressus, Eucharistiam multo cum honore retulit in aedes sacras.

Decimum in territorio Tullenis, ut commemorat Antonius. Puella quaedam post Eucharistiam sumptam primo per decem menses abstinuit pane, deinde triennium totum omni cibo, et potu, ut libro quarto narrat Antonius, ac Sigibertus. Id contigit imperante Ludovico Pio.

Undecimum afferamus, et illud a sancto Gregorio scriptum (in vit. sanct. Bened.). Quaedam foeminae, ut aiunt, moniales, nimis effroeni lingua religiosum quendam virum saepius vellabant. Quocirca Benedictus haec de illis audiens, eis protinus mandavit, dicens: Corrige lingua vestram, et aliquo excommunico vos. Illae nihil meliores factae, intra paucos dies defloratae sunt, atque in aedibus sacris sepelatae. Cumque in isdem Missarum solennia, inquit, celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret: Si quis non communicat, delocum: matris earum, quae pro eis oblationem offerre consueverat, eas de sepulcris suis progrederi, et exire videbat quod dum saepius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibat foras, atque intra Ecclesiam permanere non poterat, ad memoriam rediit, quae vit Dei adhuc viventibus mandavit, eis quippe so communionem privare dixerat, nisi mores suos, et verba corrigerent. Tunc sermo Dei cum gravi moerore iudicatum est, qui manu sua proinas oblationem dedit, dicens: He, et haec oblationem pro eis offerri Domino facite, et ulterius excommunicatae non erunt. Quae dum immolatio pro eis fuisse oblata, et a Diacono iuxta morem elatum est, non communicantes ab Ecclesia exierat, illae exire ab Ecclesia ulterius visae non sunt.

Duodecimum refert Ioannes Franciscus Merandulae Comes (eleg. ill. lib. de strig.). Fuit, inquit ille, in Alpibus Rhodis sacerdos quidam probus ante annos duodecim, cui cum foret opus ad agrorum quandam gravi oppressum morbo Eucharistiam deferre, cum longius abisset, videbat se non ita, ut oportebat, celeriter ad eum pedibus posse pervenire, ascendit equum, colloque sanctissimum Christi corpus pyxide inclusum salis honorifice alligavit, iter situm quantumvis accelerans. Cum hominibus processisset, obvium habuit quendam, qui ut equo descendens eorum pergeret ad spectaculum quoddam mirabilissimum, invitavit. Imprudens homo, et cupiditate rei tantae ductus parvi; vix equo se demiserat, cum sensit se per aera una cum comite deferri, et brevi tempore in altissimo montis cacumine statui. Ibi amplissima, et amoenissima plantae erant arboribus undique excessissimis obsepta, rupibusque horrentis circumcincta. In medio choros innumeros, ac varios ludos, cuiusque generis musas laetus, ac diversis, fuculis instructas erat videtur. Adiebatque enim concentus quilibet omni suavitate alluente. Denique aderant quaecumque animus hominum iucundissimis delinquentis tenere possent, et dulcedine perfusus intima demulcere solent. Obstupefactus improvisa re simplex, bonae confessa rem delituit ad sacerdotem, qui conflue-

scere audens, pene extra se positus, attonitus quae haerebat. Tum socius, qui illum adduxerat, petiit ab eo, vellet ne Reginam, quae ibi aderat, supplicem venerari, et munus illi aliquid offerre? In alto quodam solio Regina sedebat, effigie formosissima, regio culta, et ornamentis mirifice ornata. Accedebant ad eam prosternentes se humi cuncti, qui aderant, bini, quaternive, ordine pulcherrimo, et hini se prosternentes eam colebant, varia munera offerentes. Ad mentionem Reginae homo, cum videret eam sic fulgentem, et ministris plurimis cinctam, putavit esse Matrem Christi, caelique et terrae Reginam: neque enim suspicabatur alias praestigias, daemonumque spectra, alioquin eo non appropinquasset. Reputans igitur secum, quid illi dono daret, existimavit nihil ei gratias, aut iucundius futurum munus, quam filii corpus: accessit, et ad pedes accedens in modum supplicis, arculam in qua erat augustissimum Sacramentum, e collo detractam in gremio mulieris illius posuit. Mira res: omnia continuo evanescere. Perculsus huiusmodi novitate homo rudis, et praestigis irrelitum se videns, et in horribus densissimis, et lustris destitutum conspiciens, open divinam tremens implorare, ut e tantis ipsam aufractibus expediret. Cumque diu per loca in via, silvasque vastissimas errasset, vix tandem pastorem reperit, a quo in viam ductus didicit se millia centum a loco abesse, quo Eucharistiam deferre cupiebat. Ad vias tandem sedes reversus totam rem detulit ad magistratum. Confligit hoc imperante Maximiliano Primo.

Decimum tertium narrat Vuillelmus Abbas (in vit. s. Bernardi). Mediolani inspectante omni populo matrona nobilis ita liberata est a d. Bernardo. Referam verba ipsa Vuillelmi Abbat, qui eodem tempore, quo Sanctus ipse, vixit, et eius acta plurimorum testimoniis comprobata edidit in lucem. Adducta igitur ad ecclesiam sancti Ambrosii matrona, conversus ad populum, cuius innumera aderat multitudo, orare iubet attentius, et clericis, ac monachis secum iuxta altare consistentibus mulierem ibidem iubet constitui, ac teneri. Illa vero relictans, et vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum iniuria ipsam Abbate pede percussit: quem diaboli ausum mansuete ipse contempsit, et in eius expulsionem non indignatione irae, sed pacifica, et humili supplicatione Deum invocata adiutorem, et ad immolationem hostiae salutaris accedit. Quoties tamen eandem hostiam signat, toties ad mulierem conversus eodem signo crucis edito, spiritum nequam fortis athleta impugnat. Nam et ille malignus, quoties adversus eum signum Crucis intenditur, percussus se indicans, aerius saevit, et recalcitrans contra stimulum, quidam toleret, prodiit invitus. Expleta autem oratione Dominica efficiaci hostem aggreditur vir beatus, Patenae siquidem calicis, sacrum Domini corpus imponens, et mulieris caput superponens, talia loquebatur: *Adest inique spiritus iudae tuus, adest summa potestas; iam resiste, si potes: adest ille, qui pro nostra salute passurus; nunc, inquit, Princeps huius*

mundi evertetur foras. Hic illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in caelum. In huius ergo maiestatis terribili potestate libri spiritus maligne, praecipio, ut ab hoc ancilla eius egrediens, contingeret eam amplius non praesumas. Cumque eam invitus deserens, et ultra manere non valens atrocius afflicteret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens, rediens Pater ad altare, fractionem hostiae salutaris rite complevit, diffusandamque in populo pacem ministro dedit, et confestim pax, et salus integra reddita est mulieri, et iniquus ille vivifica mysteria quantae sint efficaciae, non confessione, sed fuga coactus, ostendit; huc usque scriptor ille.

Decimum quartum narrat Genebrardus (in Analibus suis), et Vieras (in suo Energanico), quod anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Laoduni Episcopus urbis liberatae Nicolaam a daemonis vexatione oppressam porrectione Eucharistiae sub expressa obstinatione, quod ibi verum Christi corpus esset. Adfuerunt hominum decem millia, Notarii publici acta ipsa scriptis consignarunt. Id namque in primis agebatur adversus Calvinistas, ut divino testimonio comprobaretur, et per expulsionem daemonis in Eucharistia verum Christi corpus esse. Caesarius lib. Apum aliud miraculum refert. Quidam fares, ut argentum vasculum, in quo condita erant Eucharistia, auferrent, illam secum rapuerunt, sacratissimum vero Christi corpus sub alveari proiecerunt. Post aliquot dies dominus alvearis vidit apertis certis horis sexies dimissis operis ad cibos convahendos, totos esse in quodam mellifluo contentu edendo. Cumque forte de media nocte exurrexisset, conspicitur supra alveum illustrissimam lucem, saevissimeque praeter omnem modum modulantes apes. Rei novitate inusitata, et prorsus admiranda percussus, Deique monitu intimo agitatus, rem deferat ad Episcopum. Is plurimis secum assumptis eo se conferens, aperto alveari videt vasculum elegantissime effectum e candidissima cera prope alvearis fastigium, in eo reposita erant Eucharistia; circa illud choros apum circumsonantes, et exubias agentes. Acceptum igitur Episcopus Sacramentum maximo cum honore in templum reportavit, quo multi accedentes ad innumeris sunt morbis curati; haec Caesarius.

Decimum quintum a nostro s. Antonio Pavano editum Tolosae mirabile est, quo haereticus Bonavillus est ad sanam mentem reductus. Nam eum disputasset hic publice cum sancto viro, contendens in Eucharistia non esse verum Christi corpus, et iam convictus esset; palam cunctis audientibus dixit: se tum deum crediturum in Eucharistia haberi verum Christi corpus, si huiusmodi miraculum contingat. Triduana, inquit, ego media iumentum famelicum reddam, post triduum producam illud in populi conspectum, paratasque illi escas proponam, tu stabis ex adverso cum tuo illo, ut dicis, corpore Domini: si iumentum posthabito pabulo suo properaverit ad adorand-

dum Deum tum, Ecclesiae inae fidem complectar. Accipit conditionem vir sanctus. Dies tunc certaminis dicta, qua adveniente, indigne omnes in platforma conveniunt. Adducitur ab haeretico famelicus mulus: sanctus interim missam celebrat in proximo sacello; qua peracta egreditur ad populum, maxima cum reverentia gestans Eucharistiam. Proponitur ante mulum congrua pabuli copia ex una parte, ex altera autem profertur Eucharistia. Tum sanctus ad animal conversus cunctis audientibus, et exitum rei praestolantibus: In virtute, inquit, et nomine Creatoris tui, quem in manibus habet indignus, revera teneo, tibi praecipio, ut confestim huc accedas, et illi, quam par est, praestes reverentiam, in his perspicue intelligat perveritas haereticorum, omnem creaturam suo subdi Creatori, quem dignitas sacerdotatus in altari contractat. His diebus dimittitur suae libertati bellua, froena illi laxantur; ac protinus neglecto pabulo ante oculos posito, usque ad poplites demisso capite, et coram divissimo Christi corpore genua curvans mirabiliter accedit. Ibi Catholicorum laetitia incredibilis, haereticorum confusio maxima; haereticus se catholice Ecclesiae reddidit, haereticum pessimum delestatur.

Decimum sextum sanctus Bonaventura scribit: ait enim fuisse oviculam s. Francisci, quae solet ingredi ecclesiam, et in sacratissima Missa de more attollitur Eucharistia a praesentibus canentis adoranda, pecus, dictu mirabile, caput inclinabat, genua flecebat, aliaeque signa exhibebat cultus praestabat, ut cuncti illi conspectu obstupescerent, et ad omnem reverentiam maxime inflammarentur.

Decimum septimum narrat Caesarius (lib. 2. sup.). Ait eo tempore, quo Albigenses haeretici Eucharistiae inesse verum Christi corpus negabant, hoc contigisse. Illi namque, ut fidem sibi conciliarent, arte daemonum fressi super undas pedibus illotis, ut omnes admirarentur, ambulabant. Id sciens presbyter quidam, cum quodam die ad huiusmodi spectaculum maxima multitudo convenisset, accedebat adfrensus in pyxide Eucharistiam. Cumque haeretici illi iam flumen ingressi super aquas incederent, cunctis audientibus dixit: Adiu te, diabole per eum, quem mecum gesto, Deum ne fallacis huiusmodi imponas huic populo. His diebus, cum nihilominus illaesi illi persisterent, presbyter Christi corpus pyxide includit in flumen, ac protinus machinae impiorum submersae, infelices illi demersi, et flumine absorpti perierunt. Arcula porro Sacramenti ab angelis sublata cum nusquam videretur, in lacrymis insomnem noctem traducens ob id presbyter, mane vidit illam super altari repositam.

Decimum octavum, quod Caesarius scriptor libri apum refert anno millesimo ducentesimo trigesimo primo, sic se habet. Haereticus quidam in Germania nihil non agebat, ut Fratrem ex ordine Praedicatorum in suas partes traderet: quod cum frustra saepius contendisset irrito conatu, tandem dixit: quando mihi credere non vis, et nimium pertinax es, ostendam tibi, modo fidem adhibere sis paratus,

CARTHAGENA DE SS. Trinit. et Christ. Dom. — Vol. IV.

Christum, Matremque eius, ac Sanctos ipsos. Ibi Frater praestigias suspicatus ait se crediturum, si ita ostendat. Gavisus haereticus diem statuit, quo simulacra veni, vir religiosus secum deferret Eucharistiam pyxide inclusam. Venere ambo in specum montis altissimi; ex illo in amplissimum palatium lux incredibili circumfulgens. Ibi in aula indigne cursante videbatur Rex quidam solio insidens sidereo lumine emicans; Reginaque illi assilens, in gyrum vero plurius velat hieros specie pulcherrima, et maiestate considerens. Haereticus ingressus confusus caput demittens, ac genua flexens proambit, et visos adorat. Spectro pene attonitus vir religiosus subsistit. At quem conversus haereticus, quidni, inquit increpans, Christum, Matremque eius, ac superiores, ait deest, veniaris? Accede, fidei notitiae arcana audire. Accedit Praedicator, capsulam profert, ad Regnam dicens: si Mater Dei es, in filius tuus Deus, ipsum cole, ut te colam. Producit Eucharistiam: qua in lucem prolata, lux, et omne spectaculum protinus evanuit; illi autem tenebris circumfusus, et e spelunca egressi ad montis fastigium evasere. Haereticus autem agnitis spectris ad catholicam fidem rediit.

Decimum nonum Palladius scribens, ait mulierem quandam maleficus quibusdam encantibus sic affectam fuisse, ut eque speciem referret, cum tamen loqueretur, et alia munera quae sunt hominum, obiret. Et maritus cum frustra tentasset omnia, ut spectris illi uxorem solveret, denique adduxit ad sanctum Macharium, qui liberavit mulierem, dixitque daemones id in illam poluisse, quod multum tempus abstinisset ad Eucharistiae perceptum; quocirca id in posterum ne ageret iussit, ac frequentius ad sumendum Christi corpus accederet.

His tandem omnibus alia plura placet hic adnectere, quae dominus Thomas Bozins, vir haec nostra aetate doctrinae puritate, et vitae integritate conspicuus in eruditissimo illo de signis Ecclesiae opere diligenter consessit. Paschasius Abbas Corbeiensis ab eo citatus, et allegatus, qui ante annos prope octingentos vivebat, hoc affert exemplum. Quidam presbyter Plegils nomine cum quotidie sacratissimam Missam celebraret ad corpus Nini Episcopi, maximo desiderio flagrare coepit videndi Iesum in Eucharistia, non quod haec de re dubitaret, sed ut illa coelesti voluptate divinitus perfunderetur, qua superi in primis in obtutu divinitus humanae lesa tota penitus replentur; neque involvera panis, ac vini speciem tantummodo habentia modo illo afferrent ipsi impedimentum. Post multas preces tandem vir sanctus est exauditus, viditque et amplexatus est post hostiae consecrationem puerum Iesum in altari, ac post multam deoscalationem, dulcedinemque inde perceptam petiit, ut Eucharistiam sibi sumere liceret, et in illa, quem videbat, et ad pectus stringebat, Iesum sub panis, ac vini speciebus; accessit visio, et Eucharistiam percepit.

Guitmundus ex Lanfranco itidem citatus refert se puero in Italia contigisse, ut quidam presbyter missam celebrans, veram carnem

super altare, verumque in calice sanguineu reperies sumere trepidaret. Rem profinus Episcopo suo defert, quid agendum sibi exquirens. Episcopus advocatis ad consilium multis Episcopis, de communi sententia illorum, calicem cum carne, et sanguine diligenter operum summa cum reverentia in altaris medio conclusit, ac pro divinis reliquiis perpetuo haec reservanda decrevit.

Ab eodem etiam allegatus Villaneus hoc scribit miraculum. Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, cum quidam presbyter sacratissimam missam Parisiis celebraret in sacello quodam Antae regiae, populoque ostendendam divinisimam Eucharistiam sustulisset in altum, pro specie panis plurimi qui aderant conspexere formosissimum puerum: quocirca nonnulli rogarunt presbyterum, ut tantum subsisteret manibus in altum porrectis, quoad Rex accesseretur. Certior autem tanti miraculi factus Ludovicus, negavit se eo profecturum, quod non credentibus haec signa existerent, sibi vero persuasissimum vere in Eucharistia Christi corpus esse.

Aliud miraculum permanens, atque huic simile contigit Florentiae, anno millesimo ducentesimo trigesimo, quod refertur Ioannes Villaneus, et s. Antoninus a Bozio allegati. Sacerdos quidam nomine Huguvio in aede sancti Ambrosii non totum sanguinem consecratum sumpsit in divinis Missa, sed ipsius aliquam partem dimisit. Dein vero cum calicem accepisset in manus, vidit reliquias guttulas in sanguinem conversas in tres partes dividi, et protinus in unum coire. Re obstupefactus coepit in lacrymas erumpere. Multi accurrunt; in his abbatissa, et moniales aedis illius; post multa ampullam vitream dant, in qua sacerdos sanguinem transfudit. Die vero tertia sanguis ille apparuit in carnem conversus, intra ampullam in aera sublatus, ex omni parte ab omni re divisus, ac sibi metipsum innixus. Ardinus Episcopus tum Florentinus rem voluit propius cognoscere, ac certo deprehendere: et nulli non eventum tam mirabile perspicitissimum fuit. Adhuc conservatur in aede sancti Ambrosii Florentiae intra ampullam crystallinam caro illa, quamvis eius species sunt obscuratae, tunc tamen eo proficiscentibus visenda, narraturque plurima in eam rem miranda. Hoc etiam a Thoma Bozio allatum contigit Aufidae in Piceno. Siquidem anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio quaedam mulier cum sumpsisset ore Eucharistiam, non deglutivit, sed servatam secum detulit, ut illa uteretur ad amorem mariti conciliandum sibi per beneficia. Quamobrem sic malis artibus edocta super prunas in tegulam repositam proiecit, quo facto, mirabile dictu, coepit Eucharistia apertissime in carnem conversa sanguinem late emittere, ita ut prunas extinxerit, neque prohiberi potuit cruoris eruptio, donec canduerunt carbones, quamvis mulier nihil non egerit inficiendo pulverem, cinerem, ceramque apponendo. Tum novo eventu attonita, lineo tegulam cum carne divina, et sanguine involvens, stabili propinquu stercore infudit. Latuit res annos septem, quamvis aliquot mirabilia evenerint, quae

undenam nascerentur, alios quidem latebat, mulierem non ita, facti, ac sceleris sui conscientiam. His exactis, illa tandem aperit rem gestam sacerdoti, qui cum se eo contulisset, reperit intactam carnem, sanguinemque recentem, luteumque illaesum. Miraculum patefactum, canelisque divulgatum ex omnibus locis innumeros ad sui spectaculum commovit, et commovet adhuc post annos trecentum, et sexdecim: visitur enim caro, visitur sanguis vitreis ampullis inclusus ad tantae rei memoriam sempiternam; neque post tanta temporum spatia quidquam ex eis corruptum, aut labefactum. Simile miraculum scribit Arnoldus Lubecensis (lib. 4. hist. Slav. c. 14), nec dissimilia Fulgositus (lib. mem. 1. c. 6). S. D. N. Pauli Quinti Pontificatus anno quarto, humanae autem redemptionis 1608, dum haec praelo dabam, hoc unum non minus prodigiosum, quam efficacem Fauvernei Sequaniae oppido celebris accidit, Germaniae, alicuius provinciae haereticum veneno infectis adiacentibus undique septuaginta Burgundia, quam Comitatum liberum, seu immunem vocant, immunem quidem vegetigalibus, et haereticorum infecta farina liberam, qui veluti voraces, ac rabidi canes eam veluti imani, quam nec mordere, immo nequeant contingere, allatrant. Cum autem Apostolica his multa essent privilegia, qui Pontificos festis diebus antiquas Fauvernei sacras visitarent aedes, ideo ut magis, magisque ad pietatem vicini populi inflammarentur, die vigesimaquarta Maii vigilia festivitatis Pentecostes, lignea mensa ad altaris instar, ut annis praeteritis mos fuit, erecta est ad crates ferreas, quae chorum a reliqua separant ecclesiam. Illa vero mensa exornata, vasisque honestata tapetibus, necnon decenti circumvelata fornice, instar conopaei, sericis contexta est, nec longius a cralibus illis ligneum distabat peripodium, una cum tabernaculo stragalus distincto super sacro marmore, panno etiam, quem corporale vulgo nuncupant, coopertum, argenteumque vas, seu reliquiarium magni ponderis illic repositum fuit, in cuius medio longae crystalli transversa pars erat, qua d. Agathae martyris conservabatur digitus. Huic etiam parti circulus argenteus erat insertus, qui quidem duo illa vitra, quae sanctissimum corporis Domini Sacramento, duabus nempe eodem consecratis hostiis die contextum ambit, et amplectitur. Cum haec ita se haberent, evenit nocte ipsa Pentecostes 23. videlicet Maii, ut a cereo ignis excederet, qui non stragalum modo, lapetes, et sericum foraticem, ceteraque ornamenta, praeter tamen testudinis partem, quae sacrosantam velabat Eucharistiam, sed et tabernaculum, et peripodium ipsum, et eam mensae partem, quae crates contingebat, totumque id fulciebat, depopulata sit, et ut sacrum marmor sacrosanctissimo suppositum Sacramento, reliquiariumque vas pretiosum eeciderit, et in mediis prunis rupta super pavimento petra, et flammis labefacta eius anguli, ruptique reperi sunt. Verum, mirabile dictu, a tanto incendio, mediisque flammis vas illud Domini corporis sanctissimum non intactum modo, et

illaesum, verum et a primo suo loco ad crates, palmo circiter distans, eadem ipsa, qua primum altitudine, in aere suspensum, nullo sustentatum adminiculo mirabiliter repositum est. Et quamquam crates illae parum, aut vix firmae essent, omnique momento et confluenti multitudine impulsae, et earum lignae bases, pluteoramque, quibus intextae erant, maxima pars combusta fuit; reliquiarium nihilominus cum caelesti Sacramento immobile semper, aereque suspensum medio, cum tamen, quae supposita fuerant, incensa essent, sola Dei virtute fulcitur triginta circiter horarum spatio constitit. Id quidem non populus solum Fauverniensis vidit, qui re audita illuc sese continuo contulit, sed et vicini undique ad tantum tamque inauditum prodigium conflueret, quod et omnibus eodem plane modo feria Pentecostes tertia Martis die matutinis ad decimam usque cenere licuit: nec inde longe distans reverendus quidam curatus supplicatione sollemnium una cum populo suo devote huc advenit, qui dum, ut mos est, sacram Liturgiae mysterium celebraret, in maiori

templi illius allari multis praesentibus, e cereis unis, qui coram sacrosaculo ardebat reliquiario, absque humana, saltem apparatus, causa ter extinctus est, eodemque elevationis primae Domini corporis momento, prout R. ille sacerdos sacrificans demittebat hostiam, per se solum parvulum descendens reliquiarium decidit, seseque recte, et commode super missali quodam corporali velato collocavit; cui quidem alio mensa eadem plane, iustaque distantia ut prius supposita fuit, et ad id accommodata, ut si decideret, quod ab infirmis utriusque sexus visum est, quod ab infirmis exciperetur. Qua re cognita, matureque, et diligenter examinata, tanti miraculi nuntius me Romae praesente ad summum Pontificem delatus est. Ex quibus omnibus colligo, iam non solum infidelitatem esse negare praesentium Christi Domini in hoc Sacramento, sed execrandam impudentiam, et stultissimam obstinationem contra expressissima verba Christi Domini evidentissimis miraculis confirmata; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

LIBER SECVNDVS

FINIS PRIMAE PARTIS VOLUMINIS QUARTI